

Apuleius de deo Socratis.

Christiano Luetjohann, olim Kiloniensi, nunc Gryphiswaldensi salutem.

In Apulei de deo Socratis libello, quem diligentia tua perpolitum ante hos paucos dies comiter mihi transmisisti, § 65 aliena a veris hominum laudibus vocantur 'quae parentes pepererunt et quae fortuna largita est', adduntur autem sive exempli sive testimonii causa sic in Monacensi codice scripta: *sate prothaonio gloria est qui talis fuit ut eius nepotem non puderet*, a quibus discrepans Florentinus liber *sat eprothaonio est gloria*, cetera eadem exhibet. In quibus poetae, Accii nimirum ex Meleagro verba latere persuasit tibi Wilamowitzius, sic autem expleri atque numeris astringi iussit:

sate

Porthaone, gloria avus est, qui talis fuit,
ut eius nepotem non puderet.

Displicet in his separatim exitu versus a nomine suo participium 'sate', neque satis diligenter codicum memoria servata est. Vt 'ex Tantalo ortus Pelops, ex Pelope autem satus Atreus' inc. inc. trag. 102 et 'Capis ex Assaraco . . . satus' apud Accium inc. fab. III memoratur, ita hic praepositione inserta initium versus efficitur *sate e Porthaone*. tum vero in communi utriusque libri corruptela *prothaonio* plus latere probabile est quam simplicem illum ablativum: desideratur gloriae epitheton sive *maior* sive *vera* sive quod in ipsis litteris latere videtur *omnis*; iam adsumpto quo carere sane non possumus supplemento illo *avus* octonarii oriantur tales:

sate é Porthaone, ómnis gloria ávus est qui talis fuit,
ut eius nepotem nón puderet;

si quidem integra poetae verba, non attenuatam ornatoris sententiae umbram reddere voluit Apuleius. Ceterum Porthaoniden illum Me-

leagram intellegi plane infelici coniectura voluit suasor tuus: immo Oeneus, *Προθάσος παῖς*, ut in prologo scripsit Euripides (fr. 519), appellatur; tantumque abest ut Meleager prosapiae suae generositatem gloriatus sit, ut minime nobilem uxorem ducturus Atalantam pudere se avi sui acerbissimis illis verbis patri puellam peregrinam aspernanti videatur respondere. nam Oenei quae in Euripidis et in Accii fabula cognomine partes fuerint et Meleager quid de natalium splendore senserit poterat libri mei quo tragoedia Romana enarratur caput Meleagri nomine inscriptum p. 506—521 satis liquide docere (cf. maxime p. 511 sqq. 513 sq.). altercationis igitur inter Meleagram et Oeneum, cuius vivam speciem artis monumenta ibidem memorata repraesentant, frustulum tenemus.

Et quoniam amicorum consilio in restituenda libelli tui integritate omnino uti non noluisti, vide an mea quoque *ἄποχεδάσματα* quaedam (non enim omnia effundere placuit) non nimis praepostera tibi veniant.

In paragrapho 2 scripta, h. e. elaborata, et repentina diverso animo accipi ac iudicari monet Apuleius: 'illa enim, quae scripta legimus, etiam tacentibus vobis talia erunt, qualia *inlata* (*illata* M) sunt; haec vero, quae inpraesentiarum quasi vobiscum parienda sunt, talia erunt, qualia vos illa favendo feceritis'. ubi postquam Rohdus noster *parienda* e librorum corruptelis *partienda* et *parcenda* elicit, numquid dubitas, quin absoluta illa non tam *inlata* quam *nata* recte dicantur?

Iam favore audientium mire iuvari atque erigi oratorem suo exemplo adfirmat: 'quanto enim exinde orationi *modificabor*, <dum> vos animadverto libenter audire!' immo *velificabor*: nam 'proinde in vestra manu situm est vela nostra sinuare *vel iam*' (non *etiam*, ut in libris est) remittere' e. q. s.

Luna quod 'pro circumversione oris discoloris multiuga *pollens* speciem sui' variare dicitur (11) sanum vix esse plane tecum consentio; sed emendari, ni fallor, facile poterat *pollens* scribendo.

Paulo post eadem 'ceu levi quodam speculo radios solis *obstipi* vel adversi' usurpare dicebatur, non *obstiti*, ut Scaliger librorum memoriam *obstitit* correxit. nemo enim dubitat quin vel apud Ennium annalium v. 290: 'obstipo lumine solis' et 407 'montibus obstipis obstantibus', vel apud Caecilium v. 99 'obstipo capitulo', vel apud Lucretium IV 516 'omnia mendose fieri atque obstipa necessest' recte sit restitutum.

25: 'quis pro te deus fidem faciet? an ut ferocissimo Mementio dextra et telum? quippe haec sola *advenerat*, quibus pro-

pugnabat'; ubi non tam plusquamperfectum 'adveneratus erat', quod in textu posuisti, quam imperfectum *advenerabat* locum habebat.

Daemonum genere definito suam cuique provinciam tributam esse docemur his (27): 'eorum quippe de numero *praediti* curant singuli' e. q. s. necessario *proditi* legendum; atque eadem corruptela infra (67) in Accii versibus pridem remota est, ubi *prodite* Parisinus, *predite* Monacensis praebet.

Vergiliana Iuturna 'mediis *milibus* auxiliabunda fratri' conversari dicitur (38). at milia quidem Rutulorum vereor ne fidem excedant; et quoniam in Aeneide XII 228 simpliciter 'in medias acies' se dare narratur, Apuleium quoque suspicor. satis habuisse mediis *militibus* Turni sororem inserere.

Mira significatione *secta* vocabulum in his (40) usurpatur: 'cuncti enim caelites semper eodem statu mentis aeterna aequabilitate potiuntur, quae numquam . . . finibus suis pellitur nec quoquam a sua perpetua *secta* ad quempiam subitum habitum demovetur': scripsisse Apuleium *sede* synonymis 'statu . . . finibus . . . habitum' evincitur.

Absoluta daemonum doctrina ritus quosdam ex simili superstitione ortos vindicat (43): 'unde etiam religionum diversis observationibus et sacrorum variis suppliciis fides inpertienda est. *et sunt nonnullis* ex hoc divorum numero' e. q. s. sic, nisi quod in *nonnullis* m. 2 s erasa est, Monacensis codex, *et si nonnullos* Florentinus. crucem illis praeposuisti tuae ipse coniecturae 'et si nonnulli sunt' ferme diffidens. noli reconditoria quaerere, ubi facilis emendatio *saltem nonnullis* in promptu est.

Recte ad sententiam haec (48) 'verum haec omnis distributio eorum daemonum fuit, qui quondam in corpore *numero* fuere' emendavisti scribendo *nostro*, cuius compendium *nro* in *nno* mutatum fuisse conicis. at sententiam eandem facilius etiam adsequitur *humano*.

Sublimior ille quem Plato singulis hominibus in vita agenda adsidium adesse autumat daemon sic (50) describitur: 'hic, quem dico, *prorsus* custos, singularis praefectus, domesticus speculator, proprius curator, intimus cognitor, adsiduus observator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator' e. q. s. cetera omnia plana praeter inauditum illud et sensu casum *prorsus*, quod non dubitarem in *probis* mutare, nisi reliqua adiectiva viderem non tam laudis quam familiaritatis summae notionem prae se ferre; quo ex genere in ipso descriptionis initio

nihil aptius erat quam *proprius*. atqui hoc ipsum paulo infra sequitur, sed ut interposito membro illo 'proprius curator' reapse coniunctum par 'domesticus speculator, intimus cognitor' disrumptur. atque idem interpolator sequentia turbavit inserto 'inseparabilis testis' glossemate horum 'individuus arbiter'. multo profecto elegantius et concinnius Apuleius articulorum paria sic videtur composuisse: '*proprius custos, singularis praefectus; domesticus speculator, intimus cognitor; adsiduus observator, individuus arbiter; malorum improbator, bonorum probator*'. similem membrorum inter se respondentium aequabilitatem animadvertas in his: 'vel inaequalitate aspera vel levitate lubrica, vel angulis eminula vel rotunditate volubilia' 4; cf. praeterea 19. 41.

Dehortativum suum numen auscultans in Phaedro Socrates quomodo potest 'signum illud *adnuntium*' sensisse dici (56)? non dubitavit audaculus artifex sermonis novum in tam memorabili re vocabulum fingere: *abnuntium*.

57: 'arioli vocem *audiunt* saepe numero auribus suis usurpatam, de qua nihil cunctentur, *de qua* sciunt ex ore humano profectam'. vereor ne librarium sive oculus sive manus fefellerit, qui *accipiunt*, non 'audiunt' debuerit scribere. neque apertum errorem iterati *de qua* sola 'de' vocula expulsa Scaliger ita correxisse videtur, ut sententiae satis faceret, cui convenit potius *quamquam*.

60: 'Quin potius nos quoque Socratis exemplo et commemoratione erigimur ac nos secundo studio philosophiae *patri* similium numinum *caventes* permittimus?' dativum Rohdus *faventiae* participii loco restitui voluit, tu haec potius 'nos secundo studio philosophiae . . . permittimus' coniungenda esse mones, reliqua sanari posse desperans. cum autem in sequentibus animi cultura magnopere commendetur, nescio an nostri enuntiati, unde tota illa disputatio pendet, vulnus hac medela curandum sit: 'nos secundo studio philosophiae *favore* similium numinum *animum colentes* permittimus'.

Sapientia comite Vlixes Homeri 'Scyllam praeternavigavit nec *ereptus* est' (68): immo *correptus*.

Multitudini interpolamentorum, quae laudabili constantia e textu removisti, addenda esse haec arbitror, quae uncis includam.

2: 'sic enim ferme adsolet apud prudentes viros esse in operibus elaboratis iudicatio restrictior, in [*rebus*] subitariis venia prolixior'.

17: 'cum Plato . . . frequentissime praedicet hunc solum' (omnium rerum dominatorem atque auctorem) 'maiestatis incredibilis

quadam nimietate ineffabili non posse penuria sermonis humani [*quavis oratione*] vel modice comprehendî.

23: 'Quid igitur . . . post istam caelestem quidem sed paene inhumanam tuam sententiam faciam, si omnino homines a diis immortalibus procul reppelluntur atque ita in haec terrae tartara relegantur, ut omnis sit illis adversus [*caelestes*] deos communicio denegata neque quisquam eos e caelitem numero . . . intervisat'. cf. 21. 24. supra quidem (11), ubi omne deorum genus trifarium divisit, a summis exorsus recte 'deos caelites' distinctius posuit. infra quoque (29), ubi mediarum potestatum describit munera, erat cur talia a 'maiestate deum caelestium' aliena esse moneret. item 39 omnes daemonum aestus ac turbas animi 'a deorum caelestium tranquillitate' exulare monet. hic tamen ut ad ipsos daemones transitum paret, num ab omni omnino deorum communione exclusi sint homines quaerit. itaque di simpliciter, non caelestes nominandi erant.

30: 'cum quatuor sint elementa . . . sintque propria animalia terrarum <aquarum> flammaram, si quidem Aristoteles auctor est in fornacibus flagrantibus quaedam [*propria*] animalia pennulis apta volitare'.

37: 'quod si nubes sublime volitant . . . quid tandem censes daemonum corpora? quae sunt concreta multo tanto subtiliora, non enim ex hac faeculentae nubeculae fumida caligine conglobata, [*sicuti nubium genus est.*] sed ex illo *purissimi* aëris liquido et sereno elemento coalita' e. q. s., ubi *purissimo* librorum scriptura ut in genitivum mutetur, flagitat membrorum concinnitas; ac sic demum optima per se prioris membri emendatio confirmatur.

62: 'plane quidem villas opipare extruunt et domos ditissime exornant et familias numerosissime comparant, sed in [*istis omnibus*] tanta affluentia rerum nihil est praeterquam ipse dominus pudendum'.

Denique obliterari non debebat exquisitior particulae *ne* usus in his: 'igitur terrena nequaquam' (sc. animalia in aëre sunt), 'devergunt enim pondere, sed *ne* flammida, ne sursum versus calore rapiantur' (33). eis quae in dissertatiuncula de particulis quibusdam latinis anno 1869 scripta p. 46 sq. breviter significavi, ex ipso Apuleio velut haec exempla addere possum: 'ne istuc saltem' 8; 'ne procul saltem' metam. VIII 16; 'cum nemo possit monstrare vel proprias inter nos inimicitias praecessisse ac ne omnino mihi notos illos latrones usquam fuisse' III 6; 'ac ne istud quod vehementer ingemiscis contumeliae causa perpessus es' III 11.

Mense Aprili.

O. Ribbeck.